

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

II.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)



## I.

*S. Reverende & Clarissime Domine Doctor.*

**S**pero & opto, cum conjugē & omnibus domesticis tuis te recte vale-  
re. Intelligo, filium meum Matthæum ad vos ex Italia rediisse, vel  
pauld post redditum. Ille tua meaque amicitia, & multis à te perce-  
ptis beneficiis, ac promissionibus benigne factis plurimum nititur, per-  
suadens sibi, te procuratore nocturum se discipulōs, quorum sumptibus in Gal-  
liis aut alibi studium Juris inchoatum feliciter pertexere possit. Valde igitur  
te rogo, ut meæ tenutatis, & filii ingenii excolendi rationem pro virili habeas  
& quocunque modo possis, eum juves. Senesco annis & curis & ante men-  
sem pridie Conversionis Pauli, in templo nostro tam violente lapsus sum, ac ter-  
ræ illitus, ut interea nec concionari nec legere in Academia potuerim; & ex  
his literis male pictis, quam difficulter manum moveam, non obscure vides.  
Quæso te secundo, ut filium meum tibi commendatissimum habeas, & curtæ  
suppelle filii meæ memor sis. Promitto gratum animum & studium vicissim  
de tuis bene merendi. Bene vale cum honestissima conjugē & liberis, quos  
recum, & Reverendo ac Clarissimo Domino Doctore & Superintendente, Jo-  
hanne Pappo, peramanter & officiose saluto. Dat. Rost. 24. Febr. a.o. 600.

T. R. S.

Val. Schachtius.



## II.

*Salutem in Christo Iesu, Domino & Servatore nostro.*

**P**ostquam, Reverende & Clarissime Domine Doctor, amicè & frater pluri-  
mum honorande, per multas & graves ærumnas, quibus, maximè propter  
obitum conjugis meæ dilectissimæ p.m. longo tempore affectus fui, DEI gratia,  
sum eluctatus, tandem quasi postliminiò, ad scribendi munus, jam aliquandiu  
interruptum, me confero. Porro qui has offert, Moses Held Ulmensis, ab in-  
eunte ætate alumnus fuit nostræ scholæ, adolescens & ingenio liberalissime,  
Ggggg 2 opti-

optimo ac felicissimo, & ad studia & ad lucubrationes exuscitato ac impigro: ita moribus quoque admodum placidis, sedatis compositis & integris est, alienus ab omni protervia & improbitate, & commercio male moratorum sodalium, gaudens à lectionibus & exercitiis publicis se abdere in Musæum, & libris affixus esse, denique se continere, *τίνεται τοι τὸ θέατρον*. Talem enim ego ipsum semper hic deprehendi, & eo nomine, ut & propter alia dona, ac dores ingenii, & virtutes ex eo elucescentes, omnibus bonis semper charus fuit. Is cum non ita pridem partim ab Inclyto Senatu, partim ab aliis quibusdam Mæcénatibus, sumptus ad studia necessarios impetravit ( eos enim à matre vidua, patre ante triennium peste defuncto, habere non potuit ) apud vos solidorem scientiam comparare cupit. Proinde, quanto possum, studio à te peto, ut bono huic adolescenti, oblata occasione, succurrere consilio, conatus ipsius honestos promovere velis. Hoc beneficium adolescens ille, & ego, & multi alii boni viri gratis animis agnoscent, inque id incumbent, ut grati & memores invenantur. Optime valeas, Reverende & Clarissime Vir, Domine, amice & frater plurimum colende, cum conjugé honestissima & liberis dilectis. Datum Ulmæ, ultimo Aprilis, Anno 1600.

Dignitatis Tue

studioſissimus

Johannes Wesenbeccius, D.

\*\*\*\*\*  
III.  
*S. Reverende & clarissime D. Doctor, amice vetus & observande.*

**L**ætor, te cum conjugé & liberis recte valere, Deumque oro, ut diu superflitem te sibi & Ecclesiæ suæ servet. Gratias quoque tibi, quantas possum, maximas ago, quod filium meum, Matthæum, in convictum tuum receperis & de honestissima Pædagogia ei prospexeris. Spero, eum operam daturum, ut gratam mentem tibi tuisque, & fidem ac diligentiam discipulis suis prober. Et te valde rogo, ut ipsi sis loco patris, & quid eum facere velis, libere moneas & errantem corrigas. Orbati sumus dextero oculo Academiæ nostræ, Viro incomparabili, D. Chyträo, cuius memoria sit in benedictione. Ante ostium gener ipsius, D. Frederus, desperato morbo laboravit, è quo sensim eluctatur. Nunc pauca mitto scripta funebria. Ubi cætera prodierint, illa his adjungam.

Beli-